

DISPUTATIO PHILOLOGICA

De

Linguae hebraeae ambiguitate

contra Huntlaeum,

Quam,

BONO cum DEO.

*In Illustri Academia VVittebergensi d. 8. Ianuarii*

*Anno Χριστογονίας 1631. horis antemeridianis in Philosoph.*

*Auditorio publicè defendent*

M. IACOBUS VVELLER

Neukirchensis, Sereniss. Elect.


Sax. Alumnus,

ET

PAULUS Schwab Plavia-Variscus.

*Aristot. lib. 3. Rhet. c. 2.*

*Λέξεως δρετή ἐστὶ σαφῆ εἶναι. σημεῖον γὰρ, ὅτι ὁ λόγος, εἴαν  
μὴ δηλοῖ, ἔποιήσῃ τὸ ἑαυτῆ ἔργον,*



WITTEBERGA,

Ex Officinâ Hæredum JOHANNIS GORMANNI,

ANNO cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup> c XXXI.

~~30.~~

a. cxxx. 57.

Coll. diss. A  
130, 57

POETICA

1711


JACOBUS VALLER



ANNO 1711

1711







## An lingua hebraea am- bigua?



Vod sceleratus olim Tranio in Mostell. terrifica in ædibus aiebat videri monstra, seni ut sarcinam imponeret, id in Ecclesiæ proscenio Papicolæ repetere, postquam semel *υπερ τῆς αἰχύνης ἐσκამυδία ἐπήδησαν*, nulli dubitant. Hebræam enim linguam, quâ limpidissimi Israëlites fontes, in quibus tota Veneranda Trinitas unicè inveniri & vult & potest, nobis exhibentur, quibus non larvis & sic per Consequen- tiam ipsum Dei verbum, aggrediuntur, ut hostes Dei, ceu Me- gal. noster Lutherus in lib. de servo arb. loquitur, in Ecclesia regnare faciant? quæ obscuritatis monstra, ambiguitatum plaustra in eâ latitare non asserunt, ut nos à linguæ hujus studio sacræq; scripturæ lectione absterreant? Vident enim quod ad fontium jubar protracti subsistere nullo modo possint, proin- de omnes nervos in id intendunt, ne è tenebris vulgatæ ver- sionis inviti protrahantur. Laudabilem proinde navavit ope- ram, eorum, qui monstra aliis deridenda & explodenda pro- pinaverit, quod etiam ut à Theologis insignibus, Præceptori- bus nostris *καὶ πρὸς τὰ ἕξάρτα* observandis, jam dudum est fa- ctitatum: ita vitio nobis dari non poterit, si & nostrum *Ἰν- βάλλον μέρο* addiderimus, Huntlæiq; 8. rationes c. 7. con- trov. r. de V. D. propositas, quibus ambiguitatem linguæ he- brææ demonstrare annititur, sub ventilationis incudem voca- verimus, quod etiam, ut felici decurrat tramite, faxit Deus Ter. Opt.

I. De Massiliensibus refert Val. Max. lib. 2. c. 7. quod nemini cum telo urbem eorum ingredi licuerit, quod etiam ab Italis quibusdam usu receptum ajunt, qui exteras excurrunt regiones: ita etiam Jesuitæ, quum fundi papistici calamitatem esse linguam sacram videant, nulli telum hoc relinquunt, sed clavum hunc Herculeum piis eripere dedita opera satagunt.

II. Atque hinc est, quod omnes in eodem edocti ludo scripturam multis modis traducant, & imprimis linguam, quâ Dei oracula exscribuntur, ambiguitatis vel maxime acculent, ut videre licet apud Thaidis Romanæ primopilum Bellarm. 1. 3. de V. D. c. 1. col. 134 lit. b. Huntl. controv. 1. de V. D. c. 7.

III. Octo verò profert rationes Huntlæus, quibus se suam sententiam satis confirmatum ivisse putat.

IV. Tres priores desumit à *significatione* 1. omnium vocum *varia* 2. verborum eorundem in diversis conjugationibus quin & 3. verborum eodem modo scriptorum, & in iisdem conjugationibus *contraria* 4. à *diversa* vocis eodem modo *descriptæ deductione radicali*. 5. à *similitudine* quarundam literarum. 6. à *punctorum & literarum dissimilium commutatione* 7. à *literarum & dictionum defectu*. 8. *ab earundem redundantia*. Quibus tandem exemplum ex Gen. 1, 1. petitum addit, illudq; octo modis vertit ac pervertit.

V. Ad quarum rationum responsionem priusquam accingar, pauca prius animo erunt prælibanda.

Primum est, *voces* considerari *vel in parte Etymologica*, seu quod eodem recidit, seorsim absq; collatione & constructione ad alias; *vel in parte Syntactica*, seu in constructione & *κατὰ τὸ σῶμα κ, τὸ ὄμμα*, ut Clemens Alexand. loquitur. Illo modo ambiguitatem omnem à vocibus exulare non asserimus. Hoc verò modo ambiguitatem expirare dicimus.

VI. Sic vox canis est ambigua mensq; variè distrahitur, ut dubia planè reddatur, quid apprehendere debeat. Addita verò voce latrandi, omnis ambiguitas perit. Pertinet ergò huc illud sapientum: *Ambiguitas vocis adjectione sapissime perit.*

VII.

VII. 2. Distinguendum esse inter τὸ Formale & Materiale linguarum. Formale sæpe nulli non potest esse obvium, licet interim materiale satis sit intricatum, adeò quidem ut Delio natatore opus habeas. E. g. Mathematici asserunt, terram ex longinquo Fixarum æstimatam instar exigui alicujus puncti adparere, nec tamen rusticus licet verba intelligat, rem tenebit aut credet. Si hoc in naturalibus fieri solet, quid mirum si idem in lingua hebræa, mysteria ejusmodi quæ ἕν κατὰ ληψὶν ἢ κλισίῳ ἀνθρώπινῳ transcendant, tractante τῷ ἀσηρῶν καὶ εὐεθλῶν τὰς γράφας usui veniat.

VIII. Quibus præmissis, quum nos negativam teneamus essent etiam nostræ negationi arietes firmi supponendi: Verum quum hoc iisdem argumentis, quibus Theologi contra Jesuitas, scripturam in articulis fidei non esse obscuram, nec Sybillinis foliis Dei oracula occultare, probant assertum ire possemus ad Theologos probationem desiderantem, transmittimus. Nos potius ad argumenta Jesuitæ respondebimus & generaliter & specialiter.

IX. In genere dicimus. 1. *Hunc discursum esse Sophisticum.* Siquidem ex puris particularibus procedit, quam formam concludendi peculium sibi à vitiositate fecisse, nemo nisi qui διανοίας ἀρρωστία laborat, negat. Et non secus videtur colligere ac si quis assertum iret, integrum terrarum orbem desertum esse, argumento ex vastis Lybiæ solitudinibus petito. Aut omnes Papistas implicitam tantum habere fidem, quum sint, qui hac ipsa, sicut & Carbonarius iste, quem Gregor. de Valent. plenis buccis laudat, suam fraternam ignorantiam aliis commendent.

X. 2. *Divinis assertionibus contrarium.* Si enim lingua hebræa tot ambiguitatum monstris est involuta, scriptura, קָרַן וְאֵר פִּי. 119, 105. Prov 6, 23. &c. dici non poterit.

XI. 3. *Malitiosum.* Siquidem illud quod probandum sumferat, silentii peplo planè involvit. Probare enim debebat, linguam hebræam naturam esse ambiguum, & ipse quod petulantes eam in varias detorquere queant sententias demonstrat.

Sed num malitia hominum linguæ hebrææ fraudi esse poterit?

XII. 4. *Fraudulentum.* Eò enim unicè intendit, ut nobis hebræam linguam sordere faciat, atque sic paulatim à fontibus ad paludes seu versiones depravatas imprudentes deducat.

XIII. 5. *Multorum absurdorum parentem.* Ut enim taceam hanc sententiam Deum 1. vel impotentia vel invidia accusare; 2. omnibus hæresibus ampliam nequitia fenestram aperire, quam messem Theologis demetiendam committo, sequetur tamen 1. *Neminem Judæorum* nec olim nec nunc quidem literis mentem suam explicare; quin & 2. ne *Brevia quidem papalia* absq; Spiritu Româ in pera (ut Sleidan. lib 22 *πολυθεολητων* tempore Concil. Trid. jactatum refert) expectando intelligi; imò 3. *nullam linguam authenticam esse posse*, quum hæc ambigua in omnibus, quas nos quidem novimus, linguis occurrant.

XIV. Et ut posterius exemplo demonstrarem. Jesuitæ vulgata versio ( utpote quam nemo quovis pretextu rejicere vel tantum præsumere debet. Concil. Trid. sess. 4. decr. 2. ) est authentica, & tamen exemplum Jesuitæ si retinemus in vulgata eadem ambiguitatum monstra provenient, licet *juxta vulgatam versionem*, verba sunt Jesuitæ, *hic ipse locus sit perspicuus.*

XV. Prætermissa enim interpretatione orthodoxa, sit 1. *perversio. In æternitate creavit Deus cælum.* Siquidem Principium Joh. 1. notat æternitatem. 2. *In patre creavit Deus cælum & terram.* Origenes enim & Cyrillus illud, In principio erat verbum Joh. 1, 1. explicarunt, in patre erat verbum.

3. *In principis tabernaculo creavit Deus cælum & terram.* Sic enim Livius lib 38. jura reddere in principiis sinebat, id est, in principis tabernaculo l. officium ff. de re militari l. prima C. de veteranis.

4. *In principe creavit Deus cælum & terram.* Sic enim Marcell. (laudante Ad. Turnebio in advers. lib. 2. c. 9.) præsentibus Jovinianorum & Herculianorum principiis & tribunis causas vehementius æquo bonoq; spectaverunt, seu præsentibus principibus.



5. *In ultimo aciei seu Triariorum loco Deus creavit cœlum &c.* Sic enim Terentius Ego post principia stabo. Quod logodadali de Triariorum loco explicant.

6. *In principatu manifesto creavit Deus cœlum.* Sic enim verba. Tecum principium &c. Ps 110, 3. ipse Bellarm. super hunc Psalm. explicat.

7. *Propter primarium opus creavit Deus cœlum & terram.* Ita enim de Leviathan dicitur quod sit principium viarum Dei Job. 40, 14. Et præpositio *In* significat etiam propter Dan. 2, 30. & alibi.

8. *Per principium creavit Deus cœlum & terram.* Quod enim vulgatus per *In* Ose. 12, 13. expressit, id Pagninus voce *Per* donare haud veritus est.

9. *In principio renovavit Deus cœlum & terram.* Sic enim *in* creare Ps 51, 12. Quin & *in* principio genuit Deus cœlum & terram. Sic enim Poëta: Fortes creantur fortibus. Ut cæteras vel tredecim adhuc hujus ipsius loci perversiones taceam, quæ, si Huntlæi vestigia premere vellem, proferre possem.

XVI. Nunc ad adversarii argumenta erit respondendum in specie. Primum ne titivilitio emerem, præter responsiones enim generales, addo & has: 1. *Jesuitam hoc in loco viri vel mali vel imprudentis notam sibi affricare.* Siquidem *Vir bonus, inquit Nigid. apud Gell. lib. 11. præstare debent ne mentiatur, prudens ne mendacium dicat.* Nullam verò radicem dari posse, quæ non habeat diversas significationes expressè falsum, quod non solum Jesuita sui oblitus lin. præced. agnoscit, quando voculam ferè addit (*multiplex ait, omnium ferè significatio*) sed & contraria exempla plurima dari possunt. Nobis sufficiat unum atque alterum addidisse. Sic tritissima radix est **נכר** & tamen nunquam non interire & perire significat. **נכר** luxit, tristis fuit. **נכוס** saginatus. **נכר** cessavit. **נכר** renovavit **נכר** bonum esse **נכר** in longum produxit, seu extendit, quod enim versio vulgata Dan. 4, 24. reddiderit nomen hinc deductum voce ignoscendi, in eo & ipsa & Jesuitæ, qui multis

modis locum utrum corrumpunt, quamvis ipsi fontes figmen-  
 tum eorum satis refellant, falluntur & fallunt.  $\eta\eta\eta$  hebetari  
 Ab  $\rho\upsilon$  derivata omnia premendi significationem retinent.  
 $\text{לל}$  ululare.  $\text{שפח}$  in tribus prioribus scrutari  $\eta\psi\eta$  du-  
 riter tractavit.  $\text{עץ}$  excisus est (vulgatus moriendi voce dona-  
 vit, quum tamen mori & excindi differant vid. Drus. in Pen-  
 tat.) & vel sexcenta alia quæ proferre possem, ut interim sicco  
 pede præteream dari haut pauca, quæ semel in Sacra Scriptura  
 legantur, ubi etiã unicam procul dubio significationem pos-  
 sident. Chimæram enim Pontificiorum, qua plures unius  
 dicti sensus literales asserunt, jam dudum nostrates ad Indos  
 & Garamantas ablegarunt. 2. Aliud esse propriam rei significa-  
 tionem inquirere, aliud inquisitam per plures docendi gratia de-  
 clarare. Hoc Lexicographo interdum faciendum incumbit,  
 imprimis si emphasis vocabuli uno vel altero exprimi com-  
 modè non potest. Sic nomina  $\text{Ἐπιχαρειακίας, πολυπραγμο-}$   
 $\text{σύνης, αὐταρκείας}$ , variis modis redduntur, idq; propter dif-  
 ficultatem emphasis in latio assequendi, quis tamen prima-  
 riam & unam horum significationem negaret? 3. Lexicogra-  
 phorum omnium  $\text{κενοφωνίαν}$  non adprobari. Eset enim potius  
 primaria cujuslibet vocis significatio à secundaria omninò  
 discernenda, ne confusum chaos oriretur. Quin & 4. unicam  
 literam A in scripturis & alibi quatuordecim obtinere significata,  
 nec tamen, quantum memini, latinam linguam ambiguitatis  
 quis accusavit, & sic etiam multiplex significatio  $\tau\delta$   $\text{I}$  expi-  
 rat nilq; per Huntlæo concludit.

XVII. Secunda ratio Jesuite potius ipsi contrariatur. Si  
 enim  $\text{כנח}$ , quod adducit Jesuita in Kal significat desiderare  
 in Piel verò abominari, utique etiam certam habet & unicam  
 significationem, in certa conjugatione, & sic ab altera diver-  
 so scribendi & legendi modo facile discernitur, non secus ac in  
 latino pendere & pèndere. Lactere & lactare. Puncta enim  
 ab initio fuisse addita, jam dudum nostrates evicerunt, & nos  
 tanquam probatum hac vice supponimus.

XIIX. Ter-

XII. Tertia præter ea, quæ responsi loco jam dum posita sunt, 1. *Jesuiticæ eruditionis*, qui omnia absque inquisitione transcripsit, præbet *κακῆριον ἀναμφοισβήτητον*. Ait enim verba quæ adducit eodem modo scripta eademque in conjugatione contrariam habere omninò significationem, sed monstret ubi *שקף* profanare seu immundum reddere: monstret ubi *כס* in una eademque conjugatione & depauperare & thesaurizare significet. *תחרש* & arare & tacere significat. Verum posterior significatio in Kal tantū in secunda & tertia fut. 2. locum habet, ubi tamen duplex significatio punctis à Spiritu S. *ἀκριβῶς* discernitur. Aliud enim esse *תחרש* & *יחרש*, aliud idem *תחרש* & *יחרש* quis est, qui non videat? In Hiphil verò arandi significatio non invenitur, nisi velis unicum participium excipere. *שור* & *שוב* five *ש* & *ר* ut has radices Clarissimo Dn. Trostio, Præceptori nostro multis nominibus venerando, & cui quicquid in his possumus ascriptum imus, ponere allubescit, pro diversa constructione diversis gaudent significationibus (vide Buxtorf. in Lex.) non secus ac latinum: consulo te & consulo tibi *ברר* significat etiam maledicere, sed hoc fit per quandam *εὐφροσύνην*, ut loquitur Buxt. quæ etiam latinis usitata; sic enim Cic. in Clod. Integritas tua te servavit, id est, malevolus animus te perdidit. Dieter. in Rhet. Aurea secula, spolia ampla &c. De *נחם* si suum sociennum Marinum videlicet consulisset næ hic ipsi collum obstrinxisset. Reddidit enim in Arca sua Noë *נחם* in Piel consolatus est. In Niphal verò, mutatus est animo vel pœnitudine & commiseratione. Licet verò quoad scribendi modum interdum conveniant, tamen & conjugatio & significatio diversa. Proinde scripturam *ἐπεινάω* non *ὡς ἐν παρεργῶ* seu *παρόδῳ* tractare jubemur. 2. *Nec in lingua latina talia desunt*, ut *mōrari* & *mōrari*, *mōri* & *mōri*. hæc *hic* & *hic*. *Vnit* & *vēnit*. Bulla pontificia quæ verè bulla aquæ, missilia pontificum, missilia jaculantium &c

Vide

Vide integram horum sylvam sub calce Grammat. lat. Clariss.  
Dn. Schmidii Præceptoris nostri colendi.

XIX. Ad quartam præter generalia repono 1. *Quod Theologi nostri ab interprete linguarum cognitionem & mediorum legitimum usum requirant.* 2. *Quod nec curiosa Criticorum gens in omnibus hætenus in latino consentiat, sed diversas uniu. sententiæ & uolæ proferat significata & rationes, v g. quæritur adhuc inter doctos quid sit vinum doliare apud Ulpian. §. si doliare, ff. de peri. & comm. r. vend. quæritur quid sit, alia causa est vdonum. ff. de aur. & arg. lega. Ubi quidam legunt odonum, quidam ondonum, quidam edonum, plura possem & ex Cicerone proferre, nec tamen unquam Ulpianus aut Cicero, obscuritatis nomine est damnatus.* 3. *Quod tanta difficultas in Radicibus investigandis non detur, quanta ab Huntlæo prædicatur, si fundamenta, sine quibus ædificium facile corruere potest, legitime & fideliter fuerint jacta, & imprimis si reliquarum orientalium linguarum viatico quis non omnino caruerit. יָשַׁן Prov. 4, 6. descendit à יָשַׁן (Jesuita יָשַׁן indoctè posuit, cum nunquam significet dormire,) & sic יָשַׁן iterabunt à יָשַׁן lectione: ita & significatione distinguitur, perinde ut in יָרְאוּ timebunt & יָרְאוּ videbunt. Vide Drus. de recta linguæ lectione cap. 7. p. 12.*

XX. Quinta & sexta nihil planè concludit. Ji enim 1. *qui norunt, quid distent æra lupinis, discrimen etiam literarum facile ut digitos suos noverunt.* 2. *Mutationem literarum & punctorum doctis negotium interdum faceffere non nego, sed hoc in paucis.* 3. *In omnibus linguis equulei vel fidiculae sunt posita, ubi Grammatici torquerentur & cruciarentur, nec sese quivis supplicio facile liberare potest, attamen nullus ambiguitatis omnes accusavit linguas. Sic crucem, de qua penderent docti, videtur Ovid. lib. 15. Metam. posuisse quando ait:*

*Liquit Japigiam levisq; Amphisia remis  
Sacra legit, dextra prærupta Celennia parte &c.*

At

At licet sint, qui velut tenedia quadam securi ( ut loquitur  
Adrianus Turneb. ) has arbores infelices succiderint & ever-  
terint bipenni, nec tamen ruina quæ sita salus & everfione o-  
mnibus placet. Exemplum verò quod addit planè est ἀπροσ-  
διόνυσον, suumq; patronum συνάγχη ( si non ἀργυράγχη ut  
ad illud Gell. de Demosth. lib. 11. c. 9. respiciam ) laborare  
indicat. Punctum enim <sup>ω</sup> impositum literam ab ambi-  
guitate vindicat, certamq; significationem ei imprimit.

XXI. In septima & octava causa desideramus præter  
generalia Candorem. Siquidem ante omnia qualem litera-  
rum vocumque defectum vel redundantiam intelligat, ex-  
primere & exemplis demonstrare debuisse. Quum enim  
Jesuitæ multis modis contra scripturam conspirarint, ex  
diversis etiam castris eam adoriuntur. Hincque est,  
ut si quam dictionem vel literam in vulgata ( ex versione de  
fonte ineptè judicantes ) deesse videant, illam vel incuria vel  
nescio quorum Judæorum malitia textui irrepsisse clamitent.  
Siverò quid superfluum in vulgata inveniant illuditerum ma-  
litia ex Scripturis esse erasum asserant. Hos Centauros Trage-  
laphosq; si nobis venandos propinat, eos à scriptura longissi-  
mè exfulare clara voce pronunciamus. Si verò elliptica &  
pleonastica grammaticorum genera intelligit. Resp. 1. hæc  
non parere ambiguitatem sed εὐφράσεως & elegantiae causa ad-  
hiberi. Vide defin. ell. & pleonast. in Gramm. Zehneri. 2.  
Horum exempla plurima & in aliis dari linguis. Quin & 3. vera  
Pleonasmorum & ellipseων monstra in ἀγενεαλογητώ illa vulgata  
versione, ut est, qui eam sic indigitet, latere, ubi integræ voces,  
versus & periodi vel deficiunt vel abundant, quod & Papistæ  
confiteri interdum coguntur: neq; tamen hi Polypi latinam  
versionem ambiguitatis eo nomine accusant.

XXII. Ad exemplum respondeo 1. plures dantur de-  
pravationes in latina versione, sicut th. 15. videre licet. 2. De  
voce אלהים alibi erit dicendi locus. 3. Diligentiae  
Jesuiticæ egregium πεκμήριον est in בָּרָךְ, siquidem pro-  
ban-

B

ban-

bandum ipsi incumberebat כָּרַח significare succidere  
 & ipse כָּרַח seu Piel adducit, quæ ut Punctis & con-  
 jugatione; ita mirum non est, si & significatione differunt  
 non secus ac pendere & penderere. Et quia succidendi &  
 conjiciendi significatione gloriatur ac si non quod pueri in  
 fabis reperisset, audiat quæto Marcum Marinum Jesuitam in  
 Arca, sic enim ait: כָּרַח tantum de hominibus, sicut & Kal  
 de Deo solum quod notes velim. Eleganter dictum de loco in-  
 culto, qui opera quodam modo formatur. Sic Ezech. 21, 24. (no-  
 ster Jesuita posuit v. 19) & locum formato in capite vie. Et 23,  
 47. Et formando eas in gladiis suis. Hebraismus elegans nam for-  
 mare gladio est interimere. Alias significationes verbi eligendi  
 scilicet & succidendi asserunt alii nescio quibus adducti rationibus.  
 Hæc Jesuita Jesuitæ respondet. Verbum כָּרַח quod ad sex-  
 tam perversionem pertinet divinandi gaudere significatione  
 negamus. In septima egregia spolia Jesuita refert, ait enim  
 כָּרַח Psal. 104. v. 30. significare renovare, sed fallit & fallitur.  
 Verba ita sonant: תִּשְׁלַח רוּחְךָ יְבָרְאוּן וְהַחֲרַשׁ פְּנֵי אֲרָצָה  
 quæ vulgata reddidit: Emitteres spiritum tuum & creabuntur  
 & renovabis faciem terræ. Ubi vides 1. Jesuitam indoctè  
 confundere חָרַשׁ cum כָּרַח 2. Niphal adducere quum de Kal  
 sit sermo. Ultima ratio iterum subsistere non potest, nec  
 micam eruditionis alit. N. enim C. verba quædam in Kal  
 (quod tamen contra alios Jesuitas probe notamus & ingenuam hanc  
 confessionem αὐτοτέρας ὠλένας accipimus, erit enim tempus, ubi  
 nobis contra ipsum Jesuitam utilis esse poterit) habent passivam si-  
 gnificationem. E. & hoc verbum ubique ita confundi po-  
 terit, imprimis cum 1. sana ratio repugnet esse DEUM & ta-  
 men creari, sic enim Infinito esset prius quid & eis ἀπειράτω  
 esset descendendum. Prædicata verò prout materia ad-  
 mittit sunt declaranda. 2. Quando passivè significant non  
 præcedit Nominativus, ut facilè inductione patet, confer,  
 Gen. 16. 14. Es. 9. 6. Jerem. 23, 9. Mich. 2, 6. Amos. 4, 2. &c

כָּרַח

¶ *Q*uoniam cū Activo non fore semper notā Accusativi, ne-  
 gant nostrat. & nos de ea re alibi. Interim hoc in loco & 1. Reg.  
 18. 32. significare, *ex*, negamus, cū verbum activum,  
 præcedens aliud requirat. Neque etiam aliqua consequentia,  
 si vel maximè Jesuitæ daremus, quod nunquam dandum no-  
 vimus, particula *¶* interdum latinè redditur per  
*Ex*, Ergò propriè *ex* significat vel à propria significatione  
 nondum demonstrata absurditate ad alienam quivis confu-  
 gere potest. Potiùs rhetorum illud ubique est urgendum:  
*τὸ πρῶτον εὐσεβῆς ἐστὶν ἀδherentῶν, donec absurditas inde propullulet,*  
*ἔτι τὸν convenientῶν ἀναζητῆναι.* Atque sic vidimus Je-  
 suitæ rationes, & concludimus, quòd si ob prædictas ratio-  
 nes Jesuitæ lingua hebræa esset ambigua, nullam dari  
 linguam quæ sub ambiguitatum involucris non quæ libet im-  
 pia posset proponere, adeò, ut *ἀδύνατον* foret, scripto vel li-  
 teris mentem suam declarare.

## Exercitii gratia & hoc addimus.

*Inter Camezchatupb ἔ Catephcamez nul-  
 lam dari differentiam, malè asseritur à  
 Bellarm. in Gram. Hebr. c. 3. append. ad-  
 dunt aliqui fol. 7.*

*τῶν ἁπλῶν δόξα.*

Quam Rhenus algens, & juga Caucasi,  
 Quam Thrax & invisa accola Balthidos  
 Pugnae Pyrenaeusq; finis  
 Commemorent, Tibi, Paule, famam  
 Parare curas. Hoc iter, haec via  
 Est vera. Sic nunc pergere pergito  
 Doctas, ut olim, ardentior:  
 Excoluisse animo Camænas.  
 Te sic Apollo, te Charites, novem  
 Sic te Sorores, insuper & cohors  
 Te tota Musarum perenni  
 Nomine perpetuò beabit.

F.

Balthasar Troger.



Coll. diss. A. 130, misc. 57